

CAPUT VIGESIMVM TERTIVM.

1 Domine pater & dominator vitæ meæ, ne derelinquas me in consilio eorum, nec finas me cadere in illis.



T hic quoque varia est lectio. Nam plerique libri habent; in cogitatu & consilio eorum. Quidam verò tantum habent, in consilio eorum, sicut & Græca. Augustinus in Speculo tantum habet; Ne relinquas me, & ne finas me cadere in illis. Sic legit & Rabanus. Iam relativum, eorum, quoniam videtur ad impios pertinere, quidam legunt; in consilio impiorum. At relativum illud magis referendum est ad labia, quæ consignari optauit superiori sententia. Quod enim ibi optauit, hic iam à Deo sibi donari postulat. Petit autem se non derelinqui à Deo in consilio labiorum suorum, hoc est, vt ad ea proferenda prorumpat ad quæ labia propensa sunt, quæque ipsa labia suggerere videtur homini esse dicenda. Nam, vt suprà dictum est, cor stultorum in ore ipsorum. Vnde subdit; nec finas me cadere in illis, scilicet labijs meis, hoc est, per mea labia. Sic enim legendum esse, quamvis plures aliter habeant, Græca docent. Et sic legit Rabanus, qui ad labia hæc refert, & Dionysius. Alia tamē lectio quæ magis obtinuit, habet; nec finas me cadere in illa exprobatione, vel in illam exprobationem. nam etiam sic legitur. Cuius sensus est: Non finas me cadere in illud, de quo superius dictum est, improperium & conuictum, vt scilicet per intemperantiam linguæ amico conuictier, aut vt mihi illud exprobrari possit quod amico sim conuictiatus. Appositi autem Deum, & patrem vocat & dominatorem vitæ suæ, vt significet pertinere ad eum qui vniuersæ vitæ suorum moderator est, etiam linguam hominis moderari & cohibere.

2 Quis supponat in cogitatu meo flagella, & in corde meo doctrinam sapientiæ: vt in ignorantibus eorum non parcant mihi, & non appareant delicta eorum.

3 Et ne adincrescant ignorantia meæ, & multiplicentur delicta mea, & peccata mea abundant: & incidam in conspectu aduersariorum, & gaudeat inimicus meus.

R Ectius legitur, superponat vel superponet, vt habent libri quidam correctiores, quam superponit, vt ferè legitur. Græcis enim est, superponet vel apponet. Sicut enim suprà optauit sibi donari linguæ moderationem, quam deinde à Deo rogauit: ita nunc similiter optat animi moderationem sibi obtingere, subiiciens etiam orationem ad Deum. Animi auté partes sunt duæ. Una, quæ vim habet cogitandi, vnde dicit, in cogitatu meo: altera, quæ positæ est in appetitione, quæ nomine cordis plerumq; significatur, vt & hic. Altera cæca est & ignara, nisi à Deo illuminetur ac doceatur: altera immoderata est & dissoluta, nisi à Deo regatur,

CORN. IANSENII COMMENTARIA

gatur, & cohibeatur veluti flagellis quibusdā. Optat ergo his suis animi viribus apponi & doctrinam sapientiæ, qua intelligent quæ bona sunt, & castigationem atque coërtionem per flagella significatam, qua à malis cupiditatibus referentur. Ut, inquit, in ignorationibus eorum, nempe cogitatus & cordis, (Græcè est, in ignorationibus meis) non parcāt mihi, flagella scilicet & doctrina sapientiæ, hisq; magistris cohibentibus & castigantibus, non appareant delicta cogitatus & cordis, hoc est, non prorumpant in opus ea delicta ad que mens hominis sibi relista, per cæcitatem & libidinem propendet, ne multiplicatis ignorantij & delictis meis, corrūam in conspectu aduersariorum meorum, illiq; de meis malis & perditione gaudeat atque lætentur. Insignis sanè est hic locus, docens hominem ad bene viuendum duplici egere gratia, nimirum & gratia illuminationis, & gratia coërtionis à malo, hominemque sibi relictum errata erratis, & peccata peccatis cumulare, sicq; perniciem sibi accēdere, cum gaudio inimicorum suorum, siue hominum, siue dæmonum. Cùm ergo sciret sine gratia Dei vitia se cauere non posse, oratione rursus ad Deum fusa, Deum alloquitur:

4. Domine pater, & Deus vitæ meæ, ne derelinquas me in cogitatu illorum.

5. Extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi, & omne desiderium auerte à me.

6. Aufer à me vētris concupiscentias, & cōcubitus cōcupiscentiæ ne apprehēdant me, & animæ irreuerēti & infrunītæ ne tradas me.

Graecanorū habent illam partē; ne derelinquas me in cogitatu illorū; sicut nec est apud D. August. qui hunc locum, sicut diximus, tractat, vbi paucioribus verbis hunc habet locū, omnino concordās cum Græcis, vt dolendū sit nos ea lectione destitutos esse, qua ipse in hoc libro versus est suo tépore. Habet enim sic: Domine pater, & Deus vitæ meæ, elationem oculorū ne dederis mihi, & concupiscentiā auerte à me. Ventris appetitio & cōcubitus non apprehendāt me. In nostra lectione cùm dicitur, ne derelinquas me in cogitatu illorū, vel potest referri relatiuum, illorū, ad aduersarios & inimicos, de quibus dictum est in superiori sentētia, vt sit sensus: Ne derelinquas me vt in me hostes mei perficiāt quod cogitant, aut in me videant fieri quod cupiunt, quodq; euenturū cogitat. Aut ne derelinquas me vt talia cogitē, qualia illi, népe mala. Vel potest potius relatiū, illorū, referri ad cogitātū & cor, vt sicut superius orauit ne relinquatur in cōfilio labiorū, nunc oret ne relinquatur in cogitatu animi & cordis sui, ita scilicet vt sibi relictus ea cogitet & faciat, quæ intellectus & voluntas hominis, cùm Dei gratia destituuntur, homini ex seip̄is suggestur, qualia sunt quæ sequuntur, vbi recte primū deprecatur superbiam, dicens: Extollentiam, hoc est, elationē oculorum ne dederis mihi, hoc est, ne te deserente habeā, aut me habere finas. Quibus verbis precatur

Aug. de
grat. & li-
ber. arbit.
cap. 16.

precatur superbiam à se per Dei gratiā auferri, ne scilicet sit animo elato,
 & per elationē animi elatis incedat oculis. Secundò jī genere precatur
 auerti à se omne desiderium, carnale scilicet, quod in scripturis concu-
 pisctiā s̄æpius dicitur, quomodo hic legit Augustinus. Quon nomine hic
 recte accipitur duplex illa concupiscentia, quæ duobus vltimis decalogi
 præceptis prohibetur, quā Iōānes distinguit in concupiscentiā carnis & ^{1. Ioan. x.}
 concupiscentiam oculorum. Nisi hic peculiariter placet accipere de con-
 cupiscentia refum alienari, vel concupiscentia oculorū, vt ad nomen, de-
 siderium, repetatur ex priori membro, oculorum, quia sequenti sententia
 peculiariter fit mentio de cōcupiscentia carnis. Addunt aliqui adiectiuū,
 prauum vel malignū, legentes, omne desiderium prauum vel malignum
 sed pleriq; libri correctiores, inter quos est codex Beſtar. ſicut & Glosa
 Ordinaria, neutrum adiectiuū habent, ſicut nec Græca. Sequenti ſen-
 tentia deprecatur iustus concupiscentiā carnis, quæ admodum efficiax est
 in hominibus, & niſi singulari Dei gratia ſuperari potest: est autē duplex,
 nam altera, conſtitit in appetentia cibi & potus, quæ venter anide & in-
 temperatè ſemper deſiderat, vnde dicit: Aufer a me ventris cōcupiſcen-
 tias, ne ſcilicet immoderatè eas ſequar, mihiq; dominentur. Altera con-
 ſtitit in appetentia rerū venerearum, vnde dicit: & cōcupiſcentię con-
 cumbendi non apprehendant me, vel, vt potius vertendum erat, non cō-
 prehendant me aut occident. Id enim ſignificat verbum ^{πάθειαν} ^{πάθειαν}, ita
 ut p̄ceetur ne concupiſcētiae venerearū ipſi deſinētur, ipſumq; ſibi
 deuinclū & addictū habeant, & quoq; trahant. Duplicem hanc carnis
 concupiſcētiā etiam Paulus coniunxit, cūm dixit: Non in commessa-
 tionibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitij. Quod autem
 ſequitur; Et animæ irreuerenti & infrunitæ, vel, vt multi habēt, Et ani-
 mo irreuerenti & infrunito ne tradas me, quidam intelligunt quālī nolit
 tradi animo alterius impudenti & ſtulto, hoc eſt, homini improbo, inue-
 recundo ac ſtolido. Sed melius refertur ad animū eius qui orat, vt hac
 parte p̄ceetur ab omni impudentia & inuereſcūdialiberari, quæ multo-
 rum vitiorum, & maximè carnaliū in tactibus & aspectu, etiam citra cō-
 cubitum mater eſt, ſicut contrā vercūndia & pudor, mater eſt & custos
 omnium virtutum, ſed imprimis caſtitatis & continentiæ. Itaque ſensuſ
 erit: ne tradas me animæ irreuereti vel inuereſcūdæ, hoc eſt, ne ſinas me
 tradi illi, ita vt ipſa mihi dominetur, & ego talē animam habeā mihi do-
 minante. Porro dictioni, infrunitæ, nihil respondet hoc loco apud Græ-
 cos. Significat autē apud veteres, quanquā eius rarioſ eſt vſus, ſtolidū &
 imprudentē, putaturq; deriuari ab antiquo verbo fruñſcor, hoc eſt, fñor,
 vt, infrunitus, ſit, cuius nō eſt vllus vſus, vel potius qui rebus frui nō nouit
 vt oportet. At noster interpres hāc dictionē videtur poſuiffſe pro inexpli-
 bili & gulosō, quia poſteā ca. 31. cū vertit: Vigilia & cholera & tortura viro
 infrunito, pro dictionē, infrunito, gr̄cis eſt ^{πάθειας}, hoc eſt, insatiabili. quæ
 significatio recte huic etiam loco quadrat, vt ſignificetur sapientem rogarē
 ne animā habeat & inuereſcūdā & insatiabilē, qualis eſt animā gulosorū,
 & eorum

CORN. IANSENII COMMENTARIA

& eorum qui moderatè non vtuntur libidine. Ut autē quis sit sic effusus ad cibum, & ad libidinem inuercundus, efficit stoliditas inuercundia mater: sicut contrà honestatis & pudoris mater est sapientia, ut recte etiam nomen, infrunitus, hoc & sequenti loco accipi possit pro stolido & imprudenti.

7. Doctrinam oris audite filij, & qui custodierit illam, non perierit labijs, nec scandalizabitur in operibus nequissimis.

Prost preces ad Deum fusas, redit ad docendi officium, imprimis doceūs quæ vitia linguae vitanda sint, à quibus primū rogauit Deum vt liber esse posset. Itaque doctrinam oris nō vocat eam quam iam ore suo prolatus est, sed quam de ore & lingua moderanda traditus est, quemadmodum etiam Rabanus indicauit. Hanc doctrinam qui seruauerit, non peribit per labia sua, quia liber erit à malis illis, in quæ vitia linguae hominem perducunt. Nec scandalum patietur, aut offendiculum & ruinam per nequissima operalinguae, qualia sunt, mendacium, maledictio, periurium, detractio, & id genus alia, quæ vitiola sunt lingue opera: à quibus qui liber est, à multis incommodis præseveratur, quia, vt dicitur in Proverb. Qui custodit os suum, custodit ab angustijs animam suam. Non ergo hic, scandalizari, accipitur pro, scandalum peccati pati ex aliorum factis vel dictis, hoc est, aliorum exemplis ad peccatum aliquod inclinari, sed pro impingere, offendere, & labi in ali quod incommodum & malum pœnæ, vt & alibi in hoc libro accipitur, & mox in sequenti sententia. Græca tantum habent; Et qui custodierit, non capietur in labijs suis.

8. In vanitate sua apprehendet peccator, & superbus & maledicuſ scandalizabitur in illis.

Pro Ro, in vanitate sua, Græcis est, & τὸν ἀφεστὸν, ἀντί, hoc est, in stultitia sua. Et, apprehendetur, rursum est positum pro comprehendetur. Estenim rursum verbum οὐταλαυδάρωμα. Significat ergo, peccatorem per vanitatem verborum suorum & stultiloquium, capiendum & opprimendum multis malis. Quoniam enim dixit superiori sententia, eum qui custodit doctrinam oris, non peritum labijs: hic iam contrà indicat, qui per labia sua occupandi sunt malis, & in multa incommoda prolapsuri, peccatores scilicet stultiloqui, & maximè superbi; qui præ animi superbia non verentur alijs maledicere & conuictari. Maledicus, enim legendum est, & non maledictus, cùm Græce sit, χοιλος. Si mulque insinuat vnum vitium linguae à quo cauendum sit, nempe maledicentiam, de qua apertius postea.

9. Iurationi non assuescat os tuum, multi enim casus in illa,

10. Nominatio vero Dei non sit assida in ore tuo, & nominibus sanctorum nō admiscearis, quoniam non eris immunis ab eis.

Inter

INter reliqua linguae vitia cauenda, imprimis monet cauenda iuramenta, non quidem in totum prohibens iuramentum, sed praua consuetudinem iurandi, quod per iurationem frequentatam multis modis cadere & peccare contingat: quoniam qui saepe iurat, & frequenter peccat, & saltem saepe frustra atque sine causa iusta iurat, quod citra peccatum non committitur. Et Isocrates quoque docet non dandum insinrandum nisi necessitas cogat, & vel nostra vel amicorum salus in discrimen vocetur. Sic & Christiani duas potissimum causas habent ob quas iurare possint, unam gloriae Dei, alteram salutis atque utilitatis proximorum. Quoniam autem à iuramentis illis maximè caendum est in quibus expressè Deus nominatur: item quia non tantum in temerariis iuramentis nomini diuino fit iniuria, sed etiam quandocunque nomen Dei vanè assumitur in ore, ideo subiungit; Nominatio vero Dei non fit assidua in ore tuo; siue id fiat in iuramento, siue extra iuramentum, contra morem quorundam, qui ad singula penè verba vel iurant, vel Deum leuiter nominant, quod est contra secundum Decalogi preceptum, quo præcipitur: Ne nomen Dei assumamus in vanum. Additur autem in nostra versione; Et nominibus sanctorum non admiscearis; hoc est, non admisceas te in nominandis leuiter & sine reverentia sanctorum rebus, vel sanctis hominibus, ut fit cum iuratur temere per sanctos aut per sanctas res, ut per templum, per altare, per Ierusalem, quod prohibet etiam Dominus in euangelio. Nam dictio, sanctorum, potest accipi vel Matth. 5. ut sit masculini generis, vel ut sit neutri. Vnde & cum subiungitur, quoniam non eris immunis ab eis; relativum, eis, non refertur ad genituū, sanctorum, sed ad nomina vel nominationes sanctorum, vel ad res praeditas. & est sensus: Non eris propter illas nominationes, aut propter talia quae dixi, immunis à Dei vindicta, & innoxius vel impunitus. Alludit enim ad illud quod in secundo precepto additur: Non enim habebit Dominus infontem eum qui assumperit nomen Dei in vanum. Græca tantum habent unam sententiam; Iuramento non assuefacias ostium, & nominationi sancti (nempe Dei) non assuescas. Tum subiungitur:

ii Sicut enim seruus interrogatus assidue, à liuore non minuitur: sic omnis iurans & nominans, in toto à peccato non purgabitur.

INterrogatus, hic positum est pro verberatus, & torturæ vel flagellis subiectus, quomodo Latinis quæstio ponitur pro tortura, quæ eruendæ veritatis causa fit à iudice. Sicut ergo, inquit, seruus qui à domino suo assidue in quæstionem vocatur, & flagris cæditur, non minuitur à liuore, hoc est, non habet defectum liuoris, nec caret vibicibus: sic omnis iurans & nominans Deum, assidue scilicet, in toto, hoc est, penitus non erit liber à peccato. Qua similitudine significatur, quod quemadmodum seruus saepe yapulans, diuersa & multa signa verberationis

T in cor-

CORN. IANSENII COMMENTARIA

in corpore suo exhibet: ita & frequenter iurans non potest non aperta eaque varia peccati indicia aliquando præbere. Itē quòd sicut seruus flagellis in corpore multū mæculatur, ita & frequentans iuramēta, polluitur in conscientia, & multas maculas contrahit, & cùm Deū videatur iniuria afficere temerè iurando, seipsum potius flagellat, lædit, & diuinæ vltioni subiicit, quemadmodum adhuc clarius sequenti exprimitur sententia.

12 Vir multum iurans implebitur iniquitate, & non discedet à domo eius plaga.

MVltis verbis & sententijs exprimit Sapiens id quod dicitur in secundo præcepto. Non enim habebit Dominus insontem, &c. vt à praua iurandi consuetudine multis vſitata auocet. Vir, inquit, multum iurans, non ſolū non erit penitus liber à peccato, ſed replebitur iniquitate, multisque peccatis ſubijcietur, & ideo etiam plaga & vltio diuina nō ceflabit à domo & familia eius. Patet huius veritas in Saule, qui vt erat facilis nimis ad iurandum, ita iurando ſæpius peccauit, & à Deo grauiter punitus eſt & in ſe, & in familia ſua.

13 Et si frustrauerit, delictum illius ſuper iſpum erit: & ſi diſimulauerit, delinquet dupliciter.

14 Et ſi in vacuum iurauerit, non iuſtificabitur, replebitur enim retributione domus illius.

PRo, fruſtrauerit, Græcis eſt πλημμελίσῃ. Et omnino veriſimile eſt authorem reſpexiſſe hic ad locū qui eſt Leuit.5.vbi huius verbi multus vſus eſt pro eo qui per errorē delinquit, tribuiturque etiā illi qui perperā iurat, vbi nos legimus: Anima quæ iurauerit, & protulerit labijs ſuis vt vel malē quid faceret vel bene, & idipſum iuramēto & ſermone firmauerit, oblitaque poſtea intellexerit delictū ſuū, &c. Ex quo capite etiam intelligere licet quid ſit quod hic dicitur; delictū illius ſuper iſpum erit. Id enim eſt quod ibi dicitur, portabit iniquitatē ſuam, vel peccato ſubiacet. hoc eſt, etiā per ignorantia peccauit, & inaduertentiam, nihilominus tamen peccatū ſuū agnoscere & expiare tenebitur. Quo modo autē id fieri debeat, ſubiungitur cùm dicitur: Agat pœnitentiam pro peccato (vel, vt habet Hebræa, conſiteatur peccatū ſuum) & offerat de gregibus agnam ſive caprā, &c. Ad quod etiam videtur hic author reſpexiſſe cùm ſubiungitur; Et ſi diſimulauerit, delinquet dupliciter; vt ſit ſenſus: Si diſimulauerit delictum ſuū in quod incidit iurādo temerē & per ignorantia, hoc eſt, ſi neglexerit delictum ſuū iuxta legis præscriptū expiare, delinquet dupliciter, quia & peccauit iurando, & peccat non expiendo peccatū ſuum. Hic videtur eſſe genuinus huius loci ſenſus, iuxta quem noſtra lectione ſic eſt accipienda: Si qui iurat fruſtrauerit iuramentū (non enim legēdum eſt, fruſtrauerit fratre, cùm accusatiuū, fratrem, nec Græca habeant, nec Rabanus, nec libri correctiores impressi) hoc eſt, ſi fruſtrā protulerit iuramentum, ita vt nō adimpleuerit quod iurauit) etiam ſi per igno-

ignorantiam & obliuionē id acciderit, peccato tamen subiacebit, suumq; peccatum portare & expiare obligatus erit: Si autem dissimulauerit delictum suum, illudq; agnoscere & expiare neglexerit, aut, vt est Græcis, *τετίσι*, hoc est, contépserit, delinquet dupliciter. Potest &, frustrauerit, accipi positum pro frustratus fuerit, aut errauerit, vt significetur qui per obliuionem prætermiserit iuramentum suum implere, & qui per inadvertentiā iurauit. Sic enim correspondet verbo Græco. In sequenti sententia per, in vacuum iurantem, vel, vt est Græcis, *όγκων*, hoc est, inaniter & frustrā, rectè quidā intelligunt eum qui leuiter & nulla de causa iurat, quiq; illud facit nec cum suo cōmodo, nec cum alterius incōmodo, vt istud subiectum sit cōtra eos qui putant se à crimine liberos esse, si iuramento leuiter emiso nemini noceāt. De tali ergo dicit, quod non iustificabitur, hoc est, nō habebitur apud Deū iustus & innocens, sed reus & vindictæ obnoxius, quia domus & familia eius replebitur retributio- ne, hoc est, digna & promerita vltione, nec sinet id Deus inultū. Pro quo rursum est Græcis *τηταγωγῆς*, hoc est, vltione. Quod autem in quibusdam libris additur, pessima, à quibusdam explicandi causa additum est, cùm in multis libris non sit, sicut nec in Græcis.

15 Est & alia loquela contraria morti, non inueniatur in hæredi-
tate Iacob.

Q Voniā absurdum visum est quibusdam, vt loquela illa, de qua lo-
quitur, cùm mala sit, dicatur cōtraria morti, mutauerunt quidā illud
in econtrariō in mortē. Et Lyranus legit contraria in mortē, quanquam
& alterius meminit lectionis. At ex Græcis satis appetat interpretē po-
tius vertisse, contraria morti, cum habeāt *ἀντιτετριβελημόνιον θανάτῳ*, quod
sonat, vestita morte, sed interpres vertit quasi legisset *ἀντιεπελημόνιον*. Id
enī est, opposita vel cōtraria. Non est autem Græcis; alia loquela; sed
tantū *τετλίξις*, est loquela vel sermo. Vnde sunt qui adhuc hæc dicta pu-
tant de iuramento, vt significetur esse iuramentū quod morte sit obuo-
lutm, vtpote perjurium. Verū cùm in veteri lege iuramenta temeraria
& peruria non legantur morte punienda esse, rectius videtur hic post
sermonem de iureiurando, subiecisse de alio linguae vitio longe peiore,
vtpote quod morte sit puniendū, quodque peculiariter à progenie Iacob
& populo Israēlitico abesse cupiat tanquam illo maximē indignum. Id
omnino verisimile est ipsum voluisse significare esse blasphemā &
maledictionem Dei, vitium adeo enorme, vt nec nominari sustineat, ita vt
nomine benedictionis Dei aliquādo significetur testē & per antiphrasin,
vt ibi: Benedic Deo, & morere. Hoc vitium vestitum & obuolutum est
morte, quia præceptum est vt blasphemus lapidetur & occidatur, vt *Iob. 2.*
patet Leuitici 24. Proinde rectè noster vertit; Est & alia loquela. Cùm
autem sequitur; contraria morti; datiuus, morti, non videtur construe-
dus cum, contraria, sed cum verbo, est, vt sit sensus: Est etiam alia loque-
la prædictæ cōtraria, quæ est in mortem, hoc est, quæ mortē mox adfert.

CORN. IANSENII COMMENTARIA

Iuxta Lyranum in datiuo, morti, subintelligitur obligata vel destinata. Re&etè autē blasphemia dicitur vitio de quo prius dictū est, nempe iuramento, contraria, quia iuramentum videtur habere Dei honorationem, vt qui in testem tanquam veracissimus adhibetur: at blasphemia aper-tam habet Dei inhonorationem. Aut si datiuus, morti, construatur cum adiectiuo, contraria, intelligendum est hanc de qua loquitur loquela contrariam dici morti, quia mortem habet sibi quasi è regione opposi-tam, & proinde vicinam & correspōdentem, quomodo dicit Dominus:

Matth.21. Ite in castellum quod contra vos est, hoc est, quod è regione vestri est, & in prospectu vestro, vobisque vicinum.

16 Etenim à misericordibus omnia hæc auferentur, & in delictis non volutabunt.

MAlè quidam habent, voluntabunt, cùm legendum sit, voluntabunt, vt multa habent scripta, vel voluntabuntur, vt iam habent libri corre-tiores impressi. Id enim satis declarant Græca, quæ habent ἡμετέρας, hoc est, inuoluentur. Pro misericordibus, Græcis est ινοτεῖη, hoc est, piis, qui scilicet piè Deum colunt, & ob id quām longissimè absunt ab impietate blasphemiae & periurij, atque temerarij iuramenti, per quæ Deus dehonestatur, eiusque nomen iniuria afficitur. Qui autem sic verè pij sunt in Deum, etiam sunt misericordes & in seipso, bene facientes animæ suæ, & in proximos propter Deū. A talibus auferentur & elongabuntur illa grandia vitia, quia & ipsi ab eis sua voluntate abhorrebūt, **Psalm.33.** & Dei gratia protegentur ne in talia incident. Redimet enim Dominus animas sanctorum suorum, & non delinquēt omnes qui sperant in eum. Vnde etsi aliquando in vitia quædam impingant, non tamen voluntabūt se, nec inuoluentur in delictis, maximè talibus, sic vt ab eis occupentur, & in eis hærent. Nam, vt habet Ioannes, Qui manet in Deo non peccat. & : Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit.

1.Ioan.3.

17 Indisciplinatæ loquelæ non assūescat os tuum, est enim in ea verbum peccati.

PRo, indisciplinatæ loquelæ, Græcis est in æditione Germanica, quæ nostræ versioni maximè conformis est, ἀπαθεσία ἀσυγκ., hoc est, ine-ruditio molestæ, vel rusticitati temerariæ. Quidam legunt; Indiscipli-nosæ loquelæ. Apud Augustinum in Speculo legitur tantum, Indiscipline. Omnino videtur hic tertium vitium linguæ notare, à cuius assue-tudine cauendum sit, nempe vitium irreuerentis locutionis, quæ vo-catur indisciplinata loquela, quia eorum est qui non sunt bene instituti: sicut contrà bene institutorum est, reuerenter omnibus & maximè ma-joribus loqui. A rusticitate ergo verborum reuocat, quòd ea etiam non careat peccato, sed in ea sit verbū peccati, hoc est, sermo vitiosus. Pecca-tum enim est, non deferre etiam verbis honorem proximo, sed contu-meliosè, dure & rusticè loquendo, alios ad indignationem prouocare.

Et quo-

Et quoniam ad reuerentiam verborū parentes boni suos filios diligenter monent: Item quoniam ipsa fidelium origo ex sanctis parentibus eos monet honestatis, ideo subiicit:

18 Memento patris & matris tuæ: in medio enim magnatorum consistis.

19 Ne quando obliuiscatur te Deus in conspectu illorum, & assiduitate tua infatuatus improperium patiaris.

20 Et maluisses non nasci, & diem nativitatis tuæ maledicas.

VIdetur omnibus perpensis hic esse sensus: Ut rusticati & verborum irreuerentiae non assuescas, memor esto institutionis & præceptorum quæ à parentibus accepisti. Memento item ex qualibus sis ortus parentibus, sanctis scilicet, & Deum verum colentibus: Consistis enim & conuersaris inter magnatos, nempe cultores Dei sanctos homines, sanctosque angelos Dei, qui sunt in medio populi Dei, & contemplantur singulorum mores: vnde meritò tibi cauendum est ne coram talibus indecorè te geras, aut assuescas ineptè & dishonestè loqui. Ne aliquando eueniat vt sicut tu noluisti meminisse præceptorum & reuerentiae quam te docuerunt tui parentes, originis item tuæ: ita etiam vicissim eueniat vt Deus obliuiscatur tui in bonum, ad honorandum scilicet te in conspectu illorum magnatorum, in quorum oculis & auribus indecorè te hic gesisti. Atque tunc tu, qui iam mala loquèdi assuetudine & assiduitate infatuatus es, improperium patiaris & ignominiam, quando ex eorum consortio, cum quibus iam in populo Dei censeris, turpiter ejcieris, & tuæ irreuerentiae & inobedientiae iustas dabis pœnas. Ex quo & hoc consequetur, vt qui, si voluisses, in parentibus tuis gloriari poteras, ob ignominiae & pœnarum magnitudinem malis non fuisse natus, & maledicas dié nativitatis tuæ, siue in hoc sæculo, siue in futuro. Docet ergo reuerentiam & honestatem verborum iuxta parentum monita & sanctam originem seruandam, vel ob honoré qui debetur cœtu sanctorum, sicut & Paulus monet mulieres in ecclesia habere velamen ^{1. Cor. ii.} super caput suum, & propter angelos. Et Tobias consideratione parentum à quibus nati erant, suā coniugem monet honestatis & temperantiae, dicens: Filij quippe sanctorū sumus, & non possumus ita coniungi, sicut & gentes quæ ignorant Deum, vt est Tobiae 8. Et diligenter obseruandum est quod illi; Memento patris; opponatur, ne obliuiscatur te Deus; & honori quem quisque ex sanctorum cœtu obtinet, opponitur improperium & dedecus, quod irreuerens incurrit siue hic siue postea in conspectu sanctorum, & hominum, & angelorum. Vtinam hunc locum nostri temporis hæretici bene obseruarent, vt memores suorum parentum, abstinerent ab tam dishonestis & maledicis verbis, quibus ecclesiam Dei, eiusque præpositos & veterem religionem incessunt. Græca quædam habent per futurum; In medio magnatorum consistes vel considebis. Et potest intelligi de honore quem filij obedientes præceptis

CORN. IANSENII COMMENTARIA

parentum suorum consequentur siue hic siue postea, cum eis dabitur ut
se deant in regno Dei cum principibus populi sui. Germanicum tamen
exemplar habet praesens, ut nos, omnes dicitur.

21 Homo assuetus in verbis improperij, in omnibus diebus suis
non eruditetur.

A Ut notat hic aliud linguæ vitium à quo cauendum sit, nempe contumeliam & improperium: aut etiam hoc vitium pertinet ad illud quod modò dixit, indisciplinatam loquelam. Sub ea enim non tantum continetur verborum rusticitas, sed maledicentia omnis, conuitum, & id genus alia. Postquam ergo monuit non esse assuendum imperitæ & ineruditæ loquacitati, subiungit eum qui assuetus fuerit verbis improperij, nunquam suscepturum meliorem institutionem, significans eam consuetudinem ita firmiter adhærere, ut vel nunquam vel ægrè diuelli ab homine possit, & contraria institutio suscipi: & proinde ab ea assuetudine maximè cauendum, ut per quam de homine fere sit desperatum. Nec mirum, cum improperijs & conuitijs assuetus facile etiam in suum monitorem insurget, & pro salubri monitione cōvitia regeret.

22 Duo genera abundant in peccatis, & tertium adducit iram & perditionem.

P Ost vitia linguæ procedit ad vitia operum, sicut & prius in principio capitinis, postquam precatus est linguæ continentiam, deinde precatus est & vitæ totius temperantiam. Tria autem genera hominum scilicet esse dicit, quorum duobus tribuit abundare in peccatis, vel, ut habet Græca, multiplicare peccata, hoc est, frequenter & incessanter peccare: tertium vero dicit adducere sibi iram, hoc est, grauē vltionem & perniciem. Quæ tria in sequentibus declarantur, quāuis haec variè à diuersis accipiuntur.

23 Anima calida quasi ignis ardens, non extinguetur donec aliquid glutiat.

P Rimum hic genus indicatur quod abundat in peccatis. Et significatur vitium aliquod in animo consistens, cum hic dicatur de anima calida, in sequenti verso de homine nequam in ore carnis sue. Itaque hic ferè intelliguntur notari homines auari, qui animam habent calidam, & æstu concupiscentiae inflamatam instar ignis, nec satiantur unquam donec lucrum aliquod siue per fas siue per nefas conquirant: nec tamen etiam tunc satiantur, sed semper plus expertunt, instar Proverbi. ignis qui nunquam dicit, sufficit. ut est Proverb. 30. De his ergo rectè dicitur quod abundant in peccatis, & multiplicant peccata, quia tales indies peccare contingit, semper anhelantes ad quæstum. Quidam tamen hic non tantum auaros notatos intelligent, sed in genere eos in quibus prauæ animi cupiditates, quales sunt ira, odium, auaritia, ambitione, cæteræq; immoderataæ affectiones in animo ita effervescent ut contineri

tineri nullo modo valeant. Est enim animus hominis peccatoris instar fornacis exardescens & perpetuo æstuantis, qui nō quiescit donec voti compos fiat. Vnde & Isaías: Impij, inquit, quasi mare feraens quod Isaiae 57. quiescere nō potest. Notandum autē quod noster vertit; donec aliquid glutiat; melius ex Græcis verti; donec absumatur. Est enim καταποθητι aoristus passiuus. Itaque significatur, quod quemadmodum ignis nō extinguitur, priusquā maxima vi aquæ oppressus consumptusq; fuerit: ita etiā huiusmodi ardor feroisque cupiditatū in animo hominis, ut in plurimum nō antè extinguitur, quām ipse homo morte consumptus fuerit. Bene ergo de tali hominum genere dicitur, quod multiplicant peccata.

24. Et homo nequam in ore carnis suæ non desinet donec incendat ignem.

Secundum hic genus insinuatur, quod tamen aliud insinuatur in Græca lectione, quām in nostra intelligitur. Nam Græca omnia habent; ἀνθρώποι πόλεις ἀστοῖς αὐτοῖς; homo scortator in corpore carnis suæ; vt secundum genus sit scortatorum, de quibus est hic versus & sequens: tertium verò sit adulterorum, de quibus postea prolixè. Noster interpres pro πόλεις, declarat se legisse πόλεις, & pro αστοῖς, πόλεις. Itaque nostri fere intelligunt hic notari gulosos, quorum vitium consistit in ore carnis suæ, quo indesinenter appetut ea quæ carnis sunt, intelliguntque tales non cessare donec in seipsis accendant ignem libidinis quæ ex gula nascitur. Potest tamen etiam nostra lectio accipi de scortatoribus, vt illud; in ore carnis suæ; accipiatur pro appetitu carnis. & sit sensus: Et homo qui nequam est in appetitu suæ carnis, hoc est, homo scortator non desinet nec quiescat, donec in appetentia carnis suæ accendant ignem, libidinem scilicet quæ in corpore scortatorum quasi quædam flamma exardescit. Quamuis enim hoc vitium ab animo impudico oriatur, tamen ex omnibus in corpore maximè appareat & extat, in eoque illustres libidinis flamas profert. Est enim huiusmodi libido in corporis titillatione posita, ideoque hoc vitium distinguit à priore per subiectum, quod illud sedem suam quasi quandam fornacem in animo habeat, hoc verò in corpore magis existat, Nec mirum quod nomine oris, appetitus libidinosus significetur, cùm mox nomine panis, desiderata mulier designetur. In hoc vitium etiam bene competit abundare in peccatis, quia vitium hoc tenacissimè adhæret, & subinde repetitur, nec facile satietatem adfert. vnde subiungitur:

25 Homini fornicario omnis panis dulcis, non fatigabitur transgrediens usque ad finem.

Exprimit conditionem scortatorum, qui vaga scilicet libidine delectantur: vt inueniibus plerisque accedit, qui flagitiosam consuetudinem quarumvis mulierum sine delectu appetunt, ideoque omnis panis eis dulcis dicitur, quia scilicet quævis mulier eis placet, satisque

T iiiij habent.

habent si voluptatem suam vel cum quavis expleant. Et quoniam vi-
tium hoc tenacissimè hærere solet , nec satietatem adfert, rectè de tali-
bus dicitur; non fatigabitur qui talis est; ita ut sæpius repetita libidine,
deinceps quasi satiatus cesseret, sed persistet transgredi mandata Dei usq;
ad finem vitæ suæ.

26 Omnis homo qui transgreditur lectum suum, contemnens ani-
mam suam, & dicens: *Quis me videt?*

Tertium hic genus insinuat , nempe adulteros , in quos competit
quod de tertio genere dicebatur,nempe adducere iram,quia secun-
dum legem adulterium morte puniebatur , non autem scortatio & sim-
plex fornicatio. Ideoque absolutè & imperfecta oratione dicitur; homo
qui transgreditur lectum suum; ut subaudias, est tertium illud genus de
quo dixi. Nisi potius oratio sit suspensa usque ad illud quod sequitur,
Hic in plateis . Scortator enim qui coniugatus non est , non dicitur
transgredi lectum suum ; sed tantum adulter , qui sua coniuge non con-
tentus,fidem thori violat, alienasque sectatur, qui rectè dicitur contem-
nere animam suam, quia vitam suam certo exponit periculo. Talium
mores & ingenium hic prolixè depingit Sapiens & infectatur, ostendēs
eorum peccatum eo esse grauius , quod nihil præter hominum oculos
metuentes Deum non vereantur nec reformident , à quo res humanas
negligi impiè arbitrantur. Itaque inducit eos dicentes: *Quis me videt?*
& quæ sequuntur. Legunt plerique in hac sententia; contemnens in a-
nimam suam. At præpositionem, in, quædam scripta non habebant, &
nominatim codex Bessarionis .

27 Tenebrae circundant me, & parietes cooperiunt me , & nemo
circumspicit me, quem vereor? delictorum meorum non me-
morabitur altissimus.

Iob 24.

CLara sunt hæc verba , quibus adulter significat cùm ab hominibus
non videtur,neminem sibi timendum,quod putet Deum qui in alto
cœlorum loco residet,nō inde respecturum ad ea quæ hic inferius agun-
tur. Similia sunt apud Iob. cap.24. Oculus, inquit, adulteri obseruat ca-
liginem,dicens: Non me videbit oculus, &c. Sed obscuriora sunt quæ
in nostra lectione sequuntur.

28 Et non intelligit quoniam omnia videt oculus illius , quoniam
expellit à se timorem Dei,huiusmodi hominis timor, & oculi
hominum timentes illum.

PRo his omnibus Græcis tātūm est; Et oculi hominum timor ipsius,
hoc est,talis tantum timet oculos hominū, tantum metuit ab homi-
nibus videri, illorumq; oculos offendere. Itaque pauca illa verba inter-
pres pluribus expressit , quæ sic commodè accipiuntur: Talis non in-
telligit vel non intellexit (vtrunque enim legitur) quod omnia videat
oculus

oculus Dei, ideoq; id non intelligit vel non cogitat, quoniā talis timor hominis, hoc est, timor quo ille tantum metuit ab homine videri, & hominem offendere, expellit à se, pro ab ipso, timorem Dei, hoc est, dum hominem metuere facit, efficit ut de Dei timore non cogitet. Id rursum alijs verbis sic dicitur; Et oculi hominum, qui scilicet obseruant tantum ne ab homine videantur, timentes ipsum hominem tantum, expellunt ab ipso timorem Dei. Quidā autem libri separant à verbo, expellit, illam partem; huiusmodi hominis timor, &c. vt suppositum verbi, expellit, sit non, timor, sed is de quo dixit, non intelligit, quemadmodum requirit relativum reciprocum, se, vt sit sensus: Non intelligit Deum omnia vivere, quoniā ipse expellit ex se timorem Domini. Deinde noua sententia quasi per paréthesin interiecta sequatur; Huiusmodi hominis timor; vt subaudias verbum, est, & sit sensus: Talis est timor hominis, & tales sunt oculi hominum qui tantum timent hominem, & obseruant tantum ne ab homine videantur, à quo sibi malè metuunt. Hæc distinctio magis placet, & inuenitur præter alios in codice Bessarionis.

28 Et non cognouit quoniam oculi Domini multò plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & hominum corda, intuentes in absconditas partes.

PVLCHRÈ soli comparat oculum Dei, quod sicut sol ex cœlorum altitudine omnia sua luce perlustrat & intuetur, omniaque abdita in tenebris profert in lucē, & videri ab hominibus facit: ita & diuinitus oculus, hoc est, intuitus & scientia omnia circumspicit & contuetur, atq; tandem omnia in lucem proferet. Verū cùm sol suo motu rebus pertemporum interualla abesse cogatur, & etiam præsens excludi possit ab ædibus, nec in intimas terræ partes sua luce possit penetrare, Dei oculum nihil omnino effugere potest, nec à rerum contemplatione, vel temporis vicissitudine, vel quocunque impedimento, vel quavis profunditate excludi potest. Vnde rectè Dei oculi multo lucidiores sole dicuntur. Cùm autem omnia eius oculi conspiciant, peculiariter omnes vias & actiones hominum circumspiciunt, hominumq; corda & cogitationes, etiam in absconditas mundi partes, quia illorum peculiariter Deus habet curam & prouidentiam, ut quibus suo tempore redditurus est mercedem secundum opera illorum.

29 Domino enim Deo, antequam crearentur, omnia sunt agnita: sic & post perfectum respicit omnia.

BENE ostendit Dei oculos sole esse lucidiores, quia ipse non tantum aspicit præsentia sicut sol, sed etiam omnia futura antequam sint, & præterita quoque, etiam cùm iam esse desierint. Domino enim, inquit, omnia sunt agnita antequam crearentur, sic & postquam aliquid perfectum est, respicit omnia.

CORN. IANSENII COMMENTARIA

30 Hic in plateis ciuitatis vindicabitur, & quasi pullus equinus fugabitur, & vbi non sperauit, apprehendetur.

SEntentia haec tenuis suspensa, ibique incipiens; omnis homo qui transgreditur; post multa interposita, hic iam absolvitur, ostenditurque quod adulterio pertineat ad tertium illud genus quod iram adducit & vltionem, quia, inquit, in plateis ciuitatis, publicè scilicet & in conspectu omnium ciuium, supplicium de eo sumetur, & qui se securum esse putauit, ac studiosè cavit ne adulterium eius deprehenderetur, vbi non putauit nec suspicatus est, apprehendetur rapiens ad supplicium. Pro, sperauit, enim Græcè est ιπονόστη, hoc est, suspicatus est, proinde, sperauit, hic positum est pro timuit & existimauit. Quod autem in medio habemus; & quasi pullus equinus fugabitur, Græca modò non habent. Rectè tamen pullo equino cōparatur adulterio, vt qui ad adulteriū perpetrem, trandū lascivus fuit & fortis, instar equi. iuxta illud Ieremiæ: Equi amatores & emissarij facti sunt, vnuquisque ad vxorem proximi sui hinniebat, perpetrato adulterio veluti tener pullus equinus timidus & fugax, ex conscientiæ remorsu paueat & deprehensus fugiat, nec tamen effugiat, sed vbi se securum fore sperauit, apprehendatur. Id nonnunquam etiam in hoc mundo corporaliter accidit: at ineuitabiliter apud Deum impletur, quando qui in perpetrando scelere audax est, & nihil timet, post admissum crimen timere incipit, & cum Cain vagus & profugus viuit in terra, qui inopinatè aliquando diuina vltione opprimetur, in conspectu omnium supplicium ferens cum summa ignominia, de qua & sequitur:

31 Et erit dedecus omnibus, eo quod non intellexerit timorem Domini.

Quoniam, inquit, non habuit rationem timoris Domini, nec de eo cogitare voluit, vt per eum timore dedecus adulterij vitaret, Deo eius adulterium propalate, erit omnibus in dedecus, hoc est, omnes eum habebunt dedecorosum & ignominiosum & ob admissum flagitium, & ob illatum supplicium. Itaque incidet in dedecus quod studiosè vitare se posse credidit per tenebras. Declaratum est illud ex parte in Davide s. Reg 12. cum Beersabee adulterante, & suum crimen studiosè tegere volente. Cui dictum est à Domino: Tu fecisti absconditè, ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israël, & in conspectu solis.

32 Sic & mulier omnis relinquens virum suum, & statuens hæditatem ex alieno matrimonio.

Quod de adultero dixit, id & adulteram mereri docet, ostendens etiam illam pertinere ad tertium genus quod iram adducit. Et rursum est oratio imperfecta, vel potius suspensa, que, quibusdam per parenthesin interpositis, posteà perficitur ibi, hæc in ecclesiam adducetur. Adulte-

Adulteram autem dicit constitutere hæreditatem ex alieno matrimonio, quia ex viro alterius matrimonij profert filios, qui velut legitimi filii, hæredes sint futuri sui mariti. Hoc crimen quoniam varijs de causis enorme est, priusquam oratione absoluat, & indicet qua pœna & vltione dignum sit, ostendit eius maleficij iniuriam latè patēre, nec simplicem esse, sed tripartitam, interponens quod sequitur.

33 Primò enim in lege altissimi incredibilis fuit: & secundò in vi-
rum suum deliquit, tertio in adulterio fornicata est, & ex alio
viro filios statuit sibi.

INcredibilis, positū est pro infida vel in obediens, vt & aliās. Est enim Græcis *ιπτίων*. Tria māla enumerat, in flagitio adulteræ, quorum tertiu bipartitum est, vt etiam quatuor deprehendātur. Primò enim Dei authoritas violatur, cuius legi fides promissa & obedientia non præsta-
tur. Secundo, fides marito data rumpitur. Tertiò, & corpus iphius ne-
fario stupro corruptum est, quia per adulterium fornicata est, & legitimi hæredes nothis & suppositiis liberis defraudantur.

34 Hæc in ecclesiam adducetur, & in filios eius respicietur.

35 Non tradent filij eius radices, & rami eius non dabunt fru-
ctum.

36 Relinquetur in maledictum memoria eius, & dedecus eius non
delebitur.

Sicut varijs modis adultera peccauit, ita non tantum uno modo pu-
nietur. Primò enim in ecclesiam & cœtum populi Dei adducetur, vt
ibi conuicta iuxta legem Dei coram omni populo lapidetur. Deinde
respectus habebitur in filios eius, deque eis diligens habebitur inquisitio
& visitatio (est enim Græcis, *ιπτίων καὶ ισα*) vt spurij à legitimis secernā-
tur, & omni honore & hæreditate in populo Dei careant, vt sic non tan-
tum in seipsa puniatur, sed etiam in suis filijs. Nec hi tantum honore in
populo Dei carebunt, sed & diurna vita atque successione, Deo nimi-
rum tales progeniem in sceleris detestationem citò absumente. Quod
significatur cùm dicit; non tradent vel non dabunt filij eius radices; hoc
est, non firmiter in terra collocabuntur, nec rami eius dabunt fructum,
hoc est, filij eius spurij non proferent filios, per quos parentes quodam-
modo post mortem manent superstites. Similis est locus Sapie. 4. Adul- Sapiens. 4.
terinæ plantationes non dabunt radices altas, nec stabile firmamentum
collocabunt, &c. Postremū eti si aliqua maneat eius memoria, ea ta-
men non relinquetur nisi in maledictum, hoc est, in maledictionem
illius, vt scilicet cum ignominia & maledictione eius fiat memoria.
Ex qua tam insigni punitione, magna consequetur in populo vtilitas,
quæ deinde exprimitur. Porro quod ad lectionem attinet, quidam libri
habent; Derelinquet memoriam eius; vt, eius, positum sit pro suam.

Alij,

CORN. IANSENII COMMENTARIA

Alij, derelinquent memoriam eius; vt ad filios, verbum referatur. Alij, relinquet memoria eius; sed ad rem parum facit. Græca verti possunt: Derelinquet memoriam suam.

37 Et cognoscent qui derelicti sunt, quoniam nihil melius est quam timor Dei, & nihil dulcior quam respicere in mandatis Domini.

Qui derelicti sunt, hoc est, superstites, apud quos manet memoria, ex supplicio quod de adultera & eius posteritate sumitur, admoniti cognoscent & quod nihil vtilius est homini quam timor Dei, & quod nihil sit dulcior quam attendere semper ad mandata Domini, vt eorum intuitu homo semper & a malo reuocetur, & ad bonum impellatur. Observatio enim mandatorum Dei adfert secum & summam utilitatem & summam voluptatem: nec haec tantum, sed etiam honestatem, ita ut triplex in ea bonum sit situm, vtile, delectabile, & honestum. Quod sequens sententia, qua hanc doctrinam claudit, bene comprobat.

38 Gloria magna est sequi Dominum, longitudo enim dierum assumetur ab eo.

Sicut magnum dedecus sequitur adulteros & alios peccatores, vt iam ostensum est: ita magnum decus & honor magnus est, sequi Dominum, eique in omnibus obedire, siue quia hoc ipsum summam tandem gloriam adfert, siue etiam quia in eo ipso quis seipsum honore & gloria afficit, quod Deo ut oportet seipsum subiicit, & quam debet obedientiam præstat. nam, ut bene dictum est, Seruire Deo, regnare est. Cum autem sequitur; Longitudo enim dierum assumetur ab eo; relativum, eo, videri posset referendum ad illum qui sequitur Dominum, vel ad, sequi Dominum, ut sit sensus: Longitudo dierum, hoc est, vita vel hic diurna, vel post hanc vitam æternam obtinebitur ab eo qui sequitur Dominum, vel per eam rem quæ est sequi Dominum. At melius cum Lyrano refertur ad Dominum, ut sit sensus: Per sequelam Domini, longitudo dierum assumetur, hoc est, accipietur a Domino, qui vitam æternam largietur suis servitoribus. Græce est, longitudo dierum est suscipi te ab eo, scilicet Domino. Fortè interpres verit, longitudo enim dierum assumi te ab eo, ut sit sensus; longitudo dierum, hoc est, vita æterna obtinetur per hoc quod Dominus te assumit ad se.

CAP V T